17702
kat.komp
I Mag. St. Dr. P

Polansky Joan: Oratio funebris de vita et rebus gestis Illmi D. D. Ludovici a Mortag. Palat. Culm.

finis desid.

PANEG. et VITAE
Polon. 4o
№ 568

V
B J
D

ORATIO FUNEBRIS
DE VITA ET REBUS GESTIS

Illustrissimi Domini

D. LUDOVICI A MORTAG

PALATINI CULMENSIS

Pocriwnensis, Graudentinensis &c. &c.

CAPITANEI.

Scripta

à

IOANNE POLANSKY.

THORUNII
AUGUSTINUS FERBERUS excudebat.
ANNO M. DC. XVII.

11.

XENOPHON

Orat. de Agesilao.

ORATIO IN LAVDEM HOMINIS OLIM VIRTVTE PRÆDITI ET VITA FVNCTI NON EST LVGVBRIS SED POTIVS ENCOMIVM. NAM PRIMVM DE IPSO COMMEMORANTVR EA QVÆ DE VIVO PRÆDICABANTVR. DEINDE QVID A LAMENTATIONE LONGIVS ABEST QVAM GLORIOSA VITA ET MORES PRÆCLARI? QVID ENCOMIIS ITEM CONVENIENTIVS QVAM VICTORIÆ PVLCHERRIMÆ MAXIMIQVE MOMENTI FACINORA?

177025 I

BIBLIOTH: UNIV. JAGELLONICAE

ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. SAMVELI ZALINSKY
PALATINO POMERANIÆ
Scarſouienſi, Iaſenecenſi &c. &c.
CAPITANEO
Domino colendiſſimo.
JOANNES POLANSKY
SALVTEM ET FELICITATEM.

QVod plerumque omnibus ijs, qui lucubrationes ſuas in lucem edere conſtituerunt, vſuuenire ſolet Illuſtriſſime Domine, vt hæc illis potiſſimùm deliberatio difficilis ſit, quos operi ſuo Patronos adſciſcant, & quorum ſe præcipuè auctoritate tueri velint; id mihi hoc tempore, quo Orationem hanc funebrem prælo daturus eram, accidere non potuit: tibi enim debebatur, tuumque ipſa vltro, & ſponte ſuâ petebat ſinum. Imago virtutum eximiarum viri præſtantiſſimi Ludouici Mortesky glorioſæ memoriæ Palatini Culmenſis in ea proponitur, & cui iuſtiùs dedicanda erat, quàm tibi, qui vt bonorum eius omnium per legitimas cum integerrima coniuge tua Zophia Morteska Ludouici filia ſuperſtite hæres factus, ita virtutum eius ſucceſſor & admirator extitiſti? Egregia ipſius facinora, res & bello & pace præclarè geſtæ, laudesq; Ludouici ſingulari hoc cognationis titulo communes tibi cum illo ſunt, & iure igitur quaſi hæreditario, quod de ijs ſcri-

psi, in tuam item clientelam, patrociniumque trado. Quid, quòd periti pictoris more, qui in suis operibus id sæpe efficit, vt in eis plus aliquanto intelligatur, quàm aut penicillo exprimatur, aut ab alijs videatur, quod de Tymanthe nobilissimo eius artis Magistro à Plinio proditum est, ita Ludouicum laudaui, vt ex eius laudatione magnis ac sapientibus viris amplius aliquid cogitandum, quàm aut à me dictum aut expressum esset, relinquerem? Fateor scilicet (neq; ea culpa vlla est) ita me in Ludouici præclaris facinoribus depingendis versatum esse, vt eadem simul opera alijs indicare voluerim, quid, aut qua ratione ab hoc exemplari mutuari, ac in seipsis effingere deberent; quoué potissimùm modo cum laude vel in sago, vel in toga versari, Patriæq; bonos, ac vtiles ciues se præstare possent. Vt hoc etiam nomine meritò tibi consecrandum hoc quale quale ingenij mei opus censerem, qui & ipse ciuis optimus esse, & alijs tuo exemplo in dignitate ceu specula vel editiore loco, in quo ab omnibus videri possis, constitutus, vt bonorum ciuium nomen laudemq; mereantur, præire studes. Accipe igitur Illustrissime Domine exiguũ hoc scriptum meum, & si ideo, quòd ab exili ingenio profectũ est, aspernaris, ob Ludouici tamen memoriam, de quo quæcunq; & à quocunq; dicuntur tibi non gratissima esse non possunt, & ob argumenti dignitatem ne despice. Vale Illustrissime Dñe. Torunij XIII. Kal. Febr. Anno M. DC. XVII.

ORA-

ORATIO.

VEterum monimentis conſignatum accepimus Auditores, priſcis illis & antiquis Thracibus in more fuiſſe, & apud poſteros eorum deinceps omnibus retroactis ſeculis viguiſſe conſuetudinem, vt eos, qui lucem hanc primùm ex vtero materno proſilientes ſpectare cæpiſſent, & vitam mortalem auſpicarentur, luctu lamentiſq; exciperent, rurſus exeuntes è vita gaudio, gratulationibuſque proſequerentur. Dum enim illi animo reputarent, quàm calamitoſa ſit omnis humana vita, quamque multas periculorum, caſuum, incommodorum, morborum, iniuriarum myriades ſecum trahat, infelices cenſuerunt qui illam ingrederentur, feliciſsimos illos, ac beatos, qui ea perfuncti diem ſuum obijſſent. Itaq; nulli in morte eorum luctus, nullæ acerbæ complorationes, triſteſq; nœniæ edebantur: aberant Præficæ, quæ mercede conductæ gemitus & lachrymas cierent, & lugubri præeuntes carmine ad fletum hortarentur, omnis eiuſmodi dolor, ac triſtitia exulabat: ſed omnia fauſtis acclamationibus perſonabant, omnia ad lætitiam & quaſi feſtiuitatem accommodata & facta viſebantur. Horum ego inſtitutum ſi non tantùm laudandum, ſed etiam vobis imitandum perſuadere hoc tempore conarer, non putarem me quidquam alienum ab officio meo acturum, nullamq; iniuriam viro huic laudatiſsimo Ludouico Morteski, cui hodie more rituq; Chriſtiano iuſta & ſupremum honorem perſoluitis, facturum. Neq; enim ideo ſolum lætandum vobis eſſet, quôd varijs incommodis atq; calamitatibus ærumnoſæ huius vitæ ſubductus eſt, & exutus mortalitate noſtra beatam illam & omnibus bonis affluentem immortalitatem adeptus eſt, &

quæ molestiam afferre poterant videre desijt, sed iccirco etiam quia vita eius laudabiliter acta nihil minus quàm lacrymas, aut luctum desiderat, & res ab eo præclarè gestæ non lamenta, sed publicam lætitiam suo iure efflagitant. Plorentur ignaui qui nihil vnquam præclari, & laude dignum gesserunt, & quorum omnis memoria simul cum vita aboletur, at non ita vixit Ludouicus Mortesky, vt ne eius fama & nominis celebritas ad posteros vsq; extenderetur. Ergonè ad lætitiam vos cohortabor? atqui nouum hoc & ab expectatione vestra ac desiderio perquam alienum. Dum enim omnium vestrûm vultus, oculos, atq; ora intueor, facilè coniecturam capio, quantum vnicuiq; vestrûm mœroris ac tristitiæ intra intima animi viscera resideat; simul & illud intelligo nihil magis vobis acceptum, iucundumq; fore, quàm si vos ad lætitiam impellam, à luctu auertam.

Oderunt hilarem tristes — — — —
& importuna omnis in luctu musica. Ita scilicet factum est Auditores, vt vbi fructum lætitiæ decerpere debueratis, ibi materiam luctus ac doloris inueniretis: fit enim sæpe vt quorum præsentia aspectuq; recreabamur, ijs è vitæ statione abire iussis, licet optimè cum illis agi sciamus, beatosq; esse non ignoremus, tamen ob eorum absentiam vehementissimè excruciemur, & modum lacrymis ponamus nullum, neque tam quid illi consequuti sint, quàm id quod nos amisimus, attendamus. Grauis admodum illa, & à vehementi animi commotione profecta Euphrantis Syri querela est, qui accepta vxoris morte, cùm magnitudinem vimq; doloris ferre non valeret in eas tandem prorupit voces; O Philosophia Tyrannica sunt tua præcepta, amare iubes, & si quis amiserit quod amabat, dolere prohibes. Equidem sic ego statuo Auditores neminem in vniuersa hac concione, nobilissimoq; cætu vestro reperiri, qui non impensè Ludouicum Mortescium amâritnam

nam frequens hic concurſus veſter ad iuſta peragenda certiſſimus teſtis eſt veſtri in eum amoris, perpetuæq; ac conſtantis beneuolentiæ; quem ne lugeatis egoné perſuadebo? non eſt hoc vel virium mearum, vel auctoritatis veſtræ. Mæſtiſſimi conſanguinei hominis priuati verba ſat ſcio non admittent; Philoſophiæ, hoc eſt eius ſcientiæ, quæ in affectibus domandis verſatur, ſpectatiſsima hæc matrona Zophia Zalinska ob cariſsimi parentis mortem dolore victa rationes & conſilia non audiet; vos porro omnium Ordinum homines, qui vitam diuturniorem Ludouico precati eſtis, eius interitum me flere prohibentem etiam grauatè, grauiterq? accipietis. Deum enim immortalem qualem quantumq; virum amiſimus! Sapientiſsimum, prudentiſsimum, fortiſsimum, æquiſsimum, integerrimum, verbo vnico optimum Senatorem & ciuem Reipublicæ. Ereptus eſt Ludouicus Mortesky ob maiorum gloriam maximè illuſtris, ob integritatem vitæ atq; conſtantiam commendatiſsimus, ob morum ſuauitatem vnicuiq; cariſsimus, & deſideratiſsimus. Multum huic oræ, cui Palatinus ſumma cum auctoritate & imperio præfuit, atque adeò vniuerſæ Pruſsiæ cum illo deceſsit. Auguſtiſsimi Collegij Senatusq; Boruſsici pars pene præcipua, patriæ ſingulare decus, & ornamentum interijt, Reipublicæ veſtræ, Senatores ampliſsimi lumen, illuſtre lumen eheu extinctum eſt. Dira mors, dira mors inuidit hanc lucem diutius orbi Pruſsico. Nihil igitur mirum eſt Auditores ſic omnium animos triſti ſilentio ac mœſtitia tacita defixos eſſe in hoc tam graui acerboq; caſu: illud ſimillimum portenti dicerem, ſi quem è numero veſtrûm à dolore vacuum viderem, nec tanti viri mortem deplorantem. Ego ipſe tam durus eſſe non poſſum, vt aut vos à lacrymis oratione mea citò retraham, aut vobiſcum non acerbiùs illacrymem. Atq; vt maius etiam deſiderium Ludouici extincti in vobis exſuſcitem ſtatuam hoc loco ſtupendam

quan-

quandam eius viuentis effigiem, atque pulcherrimarum eius virtutum imaginem proponam: ita verò proponam vt insigniores viri boni patriæque amantis ciuis notas quasi sub aspectum positas videatis.

Dan. 2. Rex Babyloniorum potentissimus Nabuchodonozor, vt diuinæ testantur literæ, cùm in conclaui vbi respirare, & Maiestatem suam ab onere fessam releuare consueuerat solus sederet, inqué regio lecto animum per somnum à curis vacuum haberet, visus est sibi vidisse imaginem quandam mole & compositione sanè prodigiosam aureo capite, pectore & brachijs argenteis, ventre & femoribus æreis, tibijs ferreis, pedibus partim ferreis, partim fictilibus elaboratam. Quam dum diligentius intuetur, ipsiusq; formam stupet, & variam illam ac multiplicem admiranda arte metallorum vnius cum alio per mixtionem considerat, ecce tibi repente conspicit de monte lapidem sine manibus abscindi, qui percussa basi imaginis, atq; omnino comminuta imaginem ipsam deiecit, statimq; ferrum, testa, æs, argentum, & aurum omnia quasi in fauillam æstiuæ areæ redacta à vento correpta, dissipataque euanuerunt. Expectatis fortassis Auditores vt quatuor amplissimorum, quæ priora secula viderunt, imperiorum sibi ordine certo succedentium metamorphoses, ac vicissitudines hoc viso tanquam sigillo inuolutas, ac consignatas proponam, vobisq; explicem. Hoc verò non est mihi inpræsenti negotio propositum: alijs ista relinquo neq; pertimescam, si aliud nunc ab illis sensero, me grauiori censuræ locum vllum relicturum. Adeste animis quotquot corporibus adestis & ad ea quæ iam dicturus sum diligenter attendite. Ego igitur, vt ne vos suspensos diutius teneam, dum viri præstantissimi Ludouici Morteski res ab eo præclarè gestas intueor, vitamq; laudabiliter actam & laudabili fine commendatam considero, tum verò etiam officia, dignitates, ac honores, qui

magnis

magnis eius in Rempublicam, ac Patriam suam terram Prussiæ promeritis collati fuerunt, perpendo, denique familiæ splendorem, maiorum stemmata, ab auis atauisq; transmissam laudem, gloriamq; per annos circiter quingentos propagatam, in memoriam reduco, videre mihi videor huic quam dixi simillimam imaginem, in qua aurum, argentum, & cetera nobiliora metalla singulari quodam artificio permixta in vnum coiëre, & vnam induêre formam. Quid enim Auditores illustres illi syncerae religionis, pietatis, integritatis, constantiæ in omni fortuna secunda, ac aduersa, amoris in Patriam, cuius luculenta, & manifesta vos ipsi indicia tenetis, modestiæ, prudentiæ, ceterarumq; virtutum radii nonné aureum vobis caput exprimunt? Insignia illa honorum, quos in diuersis Prussiæ nostræ locis gessit, seu dum Pomeraniæ, seu dum Culmensem Palatinum ageret, quid aliud vobis meritò videri possunt, quàm pectus & brachia argentea? Familiæ claritas ac vetustas, generis amplitudo, maiorum imagines, quæsitum labore decus, nominis celebritas non tantùm Prussiæ, sed vniuersæ etiam Poloniæ notissima, ac in remotas, atque à solo nostro alienas regiones longè lateq; diffusa, nonné æri ob sonum & concentum, quem dum pulsatur edit, alijsq; istiusmodi nobilioribus metallis persimilis est? nonné ferro conferenda, quod diutissimè durat, & non tam facilè atteritur, vsuq; ipso fit nitidius & maiorem ab eo splendorem acquirit, tantum abest vt detrimentum accipiat? Verbo dicam Auditores imago hæc Ludouicus fuit vir præstantissimus, & omnium seculorum memoria dignissimus, vitæ integritate, virtutumq; verè Heroicarum, aç rerum præclarè gestarum gloria, tanquam auro purissimo; honorum, officiorum, & dignitatum, quas summas in his terris gessisse eum, nemo est qui ignoret, ornamentis tanquam argento; prosapiæ generisq; nobilitate, & ea, quam apud omnes habuit ex-

 istima-

istimatione tanquam ære, reliquisq; metallis insignioribus exornatus. Omnia Auditores in hac imagine pulchra, omnia venusta, & dicere audeo si diuturnitatem habuisset, nullam vnquam pulchriorem, aut perfectiorem imaginem vidisset Prusia. Duratura verò etiam illa fuit, nisi mors, quæ pulchritudini ac decori eius pridem inuidebat, illam ea parte, quà maximè infirma erat, aggressa fuisset. Audite, audite & lugete vicini Pomeraniæ populi, audite quicunq, Prusiam inhabitatis incolæ & pulcherrimæ huic imagini caput inclinanti, ruenti, in terram prolapsæ collachrymamini, communemque omnium vestrûm casum ingemiscite. Lapis, delapsus eheu ex alto lapis ille mortis, cuius vim ne ipsi quidem, qui nutu frenant orbem terrarum Principes, ac Monarchæ, effugere possunt, vehementi impetu, ictu valido, & conatu quo potuit maximo, non iàm malum imagini minatus, vt paucos ante menses, quando Ludouicum periculoso tentauit morbo sui funesti non multo post aduentus prænuncio, imaginem Auditores, imaginem nobilem, pulchram, visu aspectuq; iucundissimam, vobis omnibus gratissimam solo prostrauit. O plagam luculentam, ô damnum graue. Quid mirum, si vobiscum ô mæstissimi coniuges, ac tecum inprimis nobilissima Zophia Zalinska, quæ præ dolore ægrè vitam ducis, lugeat vicina Pomerania, si Cassubij, si Culmenses, si vniuersa familia, quæ vt in vno Ludouico tota viuebat, ita in hoc magna cum omnium bonorum commiseratione interijt, & eodem cum illo funere elata est, acerbissimum edat eiulatum, si tota Prusia in lachrymis luctuq; versetur, si cuncti sordibus ac squallore contabescant? Multis hęc imago iucunda fuit, omnibus vtilis, pleriq; dum illam intuebantur ita sæpe comparati animo abibant, vt quod in ea pulcherrimum, & imitatione maximè dignum videbant, in se effingere studerent. Actum est deiecta est, cecidit imago, omnis decor eius abolitus & ablatus

latus eſt. Et videte obſecro Auditores quàm maligno ad
perniciem conſilio inuida mors vſa eſt, quàm fraudulenter
egit. Perſpiciebat ſi in caput aureum, ſi in argenteum pectus
& humeros, ſi in femora ærea, ſi in ferreas tibias impetum fe-
ciſſet, lapidemque ieciſſet, futurum fore vt reſiliret, omniſq;
ille ictus ac conatus irritus inaniſq; exiſteret, proinde non hac
ratione victoriam ſibi quærendam cenſuit; in illam partem,
quam debilem & maxime infirmam vidit, vi tota ac pondere
ſuo incubuit, pedes inquam fictiles, quibus tota imago tan-
quam fulcris ſed non bene ſolidis nitebatur, percuſsit, eam
ſcilicet hominis partem, quæ varijs mutationibus, & ipſi
adeò mortalitati obnoxia eſt. Priora illa, heroicas virtutes,
res præclarè geſtas, dignitates ampliſsimas, famam, & nomi-
nis celebritatem, quia immortalia ſunt, & vim eius longo in-
teruallo ſuperant, attingere auſa non eſt, corpore, quod ſo-
lum mortale ac caducum erat, maior & valentior eſſe potuit.
Vos verò nobiliſsimi Auditores per Deum immortalem nolite
facere, vt mors hac in parte de vobis glorietur & triumphet.
Supponite manus, aut ſi iam imago pulcherrima corruit eri-
gite, erigite ſi licet, ſin minus in eam oculos, aciemq; mentis
veſtræ intendite: eaq; ſeu virtutum, ſeu laudum inſignia,
ex quibus aduerſus nouercalem obliuionem ſempiternum
ſeculorum admirationi monumentum erigi, trophæum de
morte poni ſolitum eſt, mecum diligentius inſpicite. Poſtu-
labat quidem ordo Orationis, ſi non tumultuariè agere, &
certum quendam modum in dicendo tenere debuimus, vt ab
illuſtri proſapia, & dignitatibus initium ſumeremus; ſed quia
in imagine contemplanda occupati verſamur, illam ipſius
partem, quæ principem in ea locum obtinet, ſingulares nimi-
um virtutes, quas aureo capite ſignificari diximus, primò
quoq; intuebimur. Verum vnde hîc potiſsimùm incipiam,
aut ordiar? Deſideratis opinor ſcire Auditores quibus ſtu-

 dijs

dijs tota vita Ludouicus deditns fuerit, morem geram, & desiderio vestro libens parebo. Omnis vita humana tribus potissimum partibus continetur, & quasi quibusdam gradibus distinguitur, pueritia, virili ætate, & senecta, quarum tantus est inter se nexus, vt duæ hæ posteriores à priori dependeant. Nihil enim animis hominum magis adhæret, quàm id, cui à teneris consuescunt, proindeq; si quid eis noxii, dum adhuc molles sunt, ac teneri, immisceatur, non minus in eis ad æternitatem valebit, quàm si surculum veneno inficias, qui in maximam arborem crescat, vnde tandem fructus enascentes, & sint mortiferi vtentibus, & seminibus nihilo melioribus materiam præbeant copiosam. Themistocli quidem Pædagogus dicere solebat: nihil mediocre futurus es ô puer: nam aut magnum bonum eris Reipublicæ, aut magnum malum. Generosa videlicet indoles si accedat recta institutio, magno bono est patriæ, sin ad vitia degeneret, ingens adfert malum: difficulter eradicatur quod rudes animi perbiberunt: recens testa diu & saporem retinet, & odorem, quo primùm imbuta est. Quod cùm vir clarissimus Melchior Morteski, eius Ludouici de quo agimus, pater cognitum perspectumq; haberet, ne illi igniculi atq; scintillæ bonæ mentis, quæ in florentissimo iuuene subinde erumpere, & luce sua astantes perfundere videbantur, vitio deprauatæ educationis opprimerentur, in eam curam, cogitationemq; grauiter, ac seriò incubuit, vt ne eas in puero moribus corruptis extingueret, sed virtutis honestarumq; actionum exercitatione confoueret, ac his quasi flatibus accenderet. Magna quædam vis est educationis in vtramq; partem, vt nec à recto vnquam vel tantillum deflectere is, qui à iuuentute statim optimis moribus imbutus, institutusq; est, nec ad virtutes capessendas animum adferre possit, cuius ætas tenerior multis sit, & magnis vitijs deprauata. Enimuero nulla iustior aut melior

melior (vt mea quidem fert opinio) causa excogitari fingiq; potest, cur plerumq; iuuenes, quos loco illustri natos nouimus, acceptam à maioribus laudem, & gloriam non tantum non illustriorem reddiderunt, sed & obscuram suis ipsi flagitijs fecerunt, illamq; generis claritatem, cui lucem aliquam adferre debuerunt, turpi & probrosa vita extinxerunt, quàm quod in magna vitæ licentia educati, & nulla olim sanctiore disciplina exculti fuerunt. Sed ego vos moneo obtestorque Auditores vt nihil eorum, quæ in alijs grauiter reprehendere soletis, dum de Ludouici institutione disserentem me auditis, cogitetis. Vnicum pater habebat, nec vlla facilis spes amplius procreandæ sobolis masculæ apparebat, iamq; eo ventum fuerat, vt in eo solo nobilissima, & quæ à quingentis circiter annis ortum suum numerat, illustrissima Mortesciorum familia penderet; cumq; vnicus duntaxat superesset, in quo illa spes omnes suas reposuerat, ac augurabatur fore, si eum florentem videret, vt ipsa quoque adhuc refloresceret, nullam habere poterat parens causam, cur non plusculum illi indulgere, cur non hoc vno nomine maius quiddam ceteris concedere deberet, cur non mollem illam, & omnibus affluentem delitijs educationem daret: & tamen æquiore animo laturus erat familiæ suæ interitum, quàm si aliquid ei voluptatum deliciarumq;, quæ vitiorum alimenta putabat, permitteret. Itaq; ferre non potuit, vt inter ociosorum & nullius frugi hominum turbas adolesceret, sed eos illi comites adiungere maluit, qui quà doctrina, quà exemplo tenero ipsius animo pietatis, ac omnis probitatis documenta suauiter instillarent, idque semper egit studiosissimè, vt primam illam ætatem non ad lautitias epularum, sed ad simplicem victum, non ad luxum, sed ad frugalitatem, non ad temeritatem & audaciam, sed ad modestiam & verecundiam assuefaceret, & si vnquam ab orbita recti aut honesti deuiasset, seuerioris animaduersio-

nis metu in viam reduxit. His moribus imbutum, atq; hac sanctissima disciplina probè excultum, cùm indolem ad maiora etiam præse ferre, præclaraq; excellentis eius ingenij ac memoriæ indicia videret, gaudio bonus pater gaudebat incredibili. Statuit præterea non intra Sarmaticos iam, aut Prussiacos tantùm fines illum continere, sed in Germaniam, aliasq; orbis Christiani partes mittere, vt hac potissimùm ratione varios populorum, nationumq; mores, & instituta pernosceret, linguarum peritiam acquireret, adiumenta præsidiaq; vitæ deinceps laudabiliter transigendæ compararet. Possem non paucos hoc loco recensere, qui eam peregrinationem modis omnibus dissuadere, ac impedire conabantur, alij viarum, & longioris itineris pericula opponebant, infinita, alij incommoda cumulabant, & molestias, quas ij qui exteras nationes lustrare in animo habent, perferre coguntur, enumerabant, instabant alij nulla ratione committendum esse, vt iuuenis ille qui vniuersam familiam fulcire, & propagare debuit, procul à patria cognatisq; degeret, alij alia, omnes sedentarij illius Poëtæ carmen occinere.

Felix qui proprijs æuum transegit in agris
Ipsa domus puerum quem videt, ipsa senem

Quem obsecro Auditores ista non mouerent? & tamen perstabat in sententia pater, nec vllis quantumuis magnorum virorum persuasionibus à proposito abduci potuit. Ita consilij tenax in Germaniam illum abire, & Viennæ, vrbe re literaria florentissima, commorari iubet. Quid cogitatis Auditores, quid exspectatis? Fortasis enim quia longè à domo, longè à conspectu parentis degebat, aliquid à consueta vitæ ratione deflexit, & de vsitato virtutum, probitatisq; studio remisit, mollitem ac inertiam consectabatur, genio indulgebat, ocio torpebat? Detestanda ista ignauorum iuuenum, qui nimio laboris tædio superati, torporis, ac desidiæ amantiores

ſunt, conſuetudo, ab excelſa illa & præſtantiſsima indole, qualis erat in Ludouico noſtro, ſemper aliena fuit. Nunquam illum videre quiſquam potuit, niſi vel in præceptis ſapientiæ verſantem, vel ea quæ audiuit à doctis reuoluentem, vel de rebus arduis differentem, & modo veterum monumenta euoluebat, modò grauiſsimas variorum auctorum ſententias memoriæ imprimebat, modò ſcitè ſapienterq; dicta factaué expendebat. Hiſtoriæ certè, quam vitæ magiſtram cum Tullio nuncupabat, ita deditus erat, vt non niſi ægrè ab eius lectione diuelli potuerit. Deniq; eam ſcientiam, quæ ius ſuum vnicuiq; reddendum docet, & iuſtitiæ, ſine qua nec vita ciuilis vlla ratione conſiſtere, nec Reſpublica conſeruari aut florere poteſt, partes atq; functiones perſequitur, ita ſibi familiarem fecit, vt ex eius quotidiano vſu magnos prudentiæ theſauros collegerit, & ſingularem facilitatem ad diſceptationes olim de rebus grauiſsimis, & difficillimis ex æquo ac iure finiendas, compararit. Quia verò eius ciuitatis ac Reipublicæ ciuem ſe eſſe agnoſcebat, quæ non ſolùm optimis legibus conſtituta & firmata, ſed belli etiam ſtudijs, armiſq; glorioſum nomen toto orbe adepta, & conſilium à ciue ſuo in pace, & fortem in bello dexteram requirebat, ideo in ijs quoque artibus magno ſuo cum emolumento verſari voluit. Proinde in aulam Chriſtianiſsimi Imperatoris ſæpe diuertebat, & in eorum familiaritatem atq; amicitiam ſe inſinuabat, qui arte militari præ ceteris videbantur excellere, vt ab illis in hoſtes inſtrueretur: ergo in flectere equos, hoſti aſsilire, deſilire, in gyrum ducere, habenas laxare, in medio curſu inhibere, arma tractare, gladium rotare vulnus infligere, repellere, tela iacere, ad ſcopum iaculari, haſtis concurrere, acies inſtruere, milites in ordinem componere, caſtra metari, & alias exercitationes ita percalluerat, vt non immeritò illi conuenire poſſe videretur, quod Statius de Achille dixit.

Iamq;

Iamq; & ad ensiferos vicina pube tumultus
Aptabar, nec me vlla feri Mauortis imago
Praeterijt: didici quò Paeones arma rotatu,
Quo Magetae sua gesa citent, quo turbine caestum
Sauromates, falcemq; Getes, arcumq; Gesenus
Tenderet, & flexae Balearicus auctor habenae,
Quo suspensa trahens libraret vulnera tractu
Inclusum quoties distringeret aëra gyro.

Hanc Auditores viuendi rationem semper tenuit Ludouicus dum extra patriam degeret: nihil otio, nihil leuitati, nihil ignauiae datum est, hoc illi studium vnicum curaq; fuit, vt virtute & doctrina conspicuus domum reuerteretur. Atq; cum iam reducem illum videret ipse pater Pocriwnensis Capitaneus, audiretq; comparata Sapientiae sapientissima dicta, saepe ad eos tacitus, qui profectionem hanc oppugnabant dixisse fertur: quantum, ô amici bonum importuna vestra consilia mihi eripere voluerunt: magnas tibi Deus immortalis ago gratias, cuius prouidentia factum est quòd amicorum persuasionibus non acquieuerim. Ac ille quidem iam totius vitae anteactae vberrimum fructum retulit, quando & talem filium, vt opum ac bonorum omnium haeredem, ita virtutum successorem reliquit, & alteram nunquam pro dignitate laudandam filiam, quae repudiatis seculi voluptatibus, sanctiorem vitam complexa, virginitatis florem aeterno illi Sponso consecrauit, & Antistita in Culmensi monasterio creata multarum religiosarum Deoq; dicatarum virginum mater extitit. O praedicandam & nullis vnquam intermorituram seculis liberorum educationem, qua pius genitor id perfecit, vt filium Reipublicae, patriaeq; bonum ciuem relinqueret, & filiam, quam mundo genuerat inter Regias Christi sponsas annumeraret. Sed de Religiosissimae huius virginis laudibus, hoc loco plura dicere necesse non est, nam, nisi me iam praesaga

mens